



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

4 Quae res possint in feudum dari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

Octavo, Dominus ei, qui rem in feudum accipit, tradit possessionem.

Secundo quaeritur, quot ex praedictis pertineant ad substantiam feudi, sine quibus feudum esse non possit? Respondeo, duo tantum, videlicet, ut in feudum data sit res soli, vel immobilis, vel quae talis habeatur, & is, qui rem accipit in feudum, fidelitatem & obsequium Domino promittat: & hinc fit, ut directum dominium maneat penes Dominum, & utile transeat in beneficiarium.

Reliqua sunt in feudo praeternaturalia: quae sicut in aliis contractibus, salva feudi substantia, conditionis mutantur, ut si in haeredes non transmittatur ex pacto, ita ut dicatur feudum personale: vel si annum tantum duret: vel ad aliud certum tempus, & dicatur annuum, & temporarium: vel ut ad haeredes transferatur, & dicatur hereditarium: vel ut transeat ad foeminas, & dicatur foemininum, vel si officium, aut debitum obsequium remittat, vel fidelitatis sacramentum, siue iurandum, ita ut sic feudum immune & liberum: denique si certa alia pacta apponantur, ut custodia domus, vel arcis, vel territorii: unde dictum est feudum guardiae: vel procuratio rerum, unde vocatur feudum Castaldiae: Castaldus enim est procurator, vel gubernator rerum: vel in singulos annos certa innumerata pecunia, vel in fructibus rei pensio.

Tertio quaeritur, in quoniam feudum differat ab emphyteusi? Differat in multis.

Primo, qui rem in emphyteusim accipit, non debet Domino obsequium personale, sed reale dumtaxat pensionem: ac is qui rem accipit, in feudum simpliciter, & proprie, debet Domino personale obsequium: quamvis etiam aliquando in singulos annos ex pacto, certam pecuniae quantitatem soluat.

Secundo, si fuerit controuersia inter eos, qui rem nomine feudi habent, dominus habet ius cognoscendi, & iudicandi causam: Secus in emphyteusi. Ratio est, quia Dominus feudi, sibi personam eius, qui feudum accipit, obstrinxit, & obligauit, ac proinde in eum iurisdictionem exerceat: ac dominus rei emphyteuticae emphyteuticam personam sibi minime deuinxit, nisi ratione rei in emphyteusim datae.

Tertio, sine Domini consensu beneficiarius, siue feudatarius feudum in pignus dare non potest, cum tamen possit rem emphyteoticam emphyteuticarius, ut in hoc eodem libro ostendit, cap. 9. Ratio est, quia qui rem in feudum accipit simpliciter & proprie, solum debet Domino obsequium personale, non aliquam pensionem, in numerata pecunia, vel in fructibus rei consistentem, nisi ex pacto: ac emphyteuticarius debet Domino pensionem ex fructibus rei, & ita potest eam rem in pignus creditori dare, ut is ex ea re fructus percipiat, quibus suum debitum recuperaret.

Quarto, qui rem in feudum simpliciter accipit, nequit absque Domini voluntate feudum alteri dare: & emphyteuticarius ius suum potest alteri donare. Cuius rei ratio haec est, quia beneficiarius, siue feudatarius persona manet Domino obligata: unde feudatarius nequit alterum in sui locum subrogare & supponere: Dominus enim feudatarii personam elegit. An in emphyteusi, res, non persona emphyteuticam est obstricta Domino.

Quinto, in feudo foemina succedere nequit, nisi fuerit feudum foemininum, aut nisi id expressè actum fuerit. Et personale foemina autem nequit seruire Domino aequè idoneè, ac vir: ac res in emphyteusim datur, ut is qui accipit, eam meliorem efficiat, quod aequè, ac vir potest foemina praestare.

Sexto eadè ratione fit, ut feudatarius nequeat villo modo feudum ad alium transferre: ut potest emphyteuticarius ius suum alteri donare, vel legare, quia feudatarius suam personam domino obligauit, & eius fidem Dominus elegit: ac res in emphyteusim datur, ut melior fiat.

Septimo, feudatarius non cogitur Domino obsequium praestare, nisi exigente Domino: ac emphyteuticarius, tem-

pote constituto debet omnino pensionem Domino solvere, ob eam scilicet causam, quia feudatarius debet Domino personale obsequium: ac hoc praestare non cogitur, nisi indigente & postulante Domino: emphyteuticarius verò debet ad certum diem pensionem Domino: Dies autem pro Domino interpellat, quamuis ipse dominus non peccat.

Ultimo feudatarius potest sine Domini voluntate: scilicet feudo abdicare, ac emphyteuticarius nequit citra Domini rei emphyteuticæ consentum, illum dimittere: propterea quod Dominus feudum in feudum dat alicui, ut de eo bene mereatur, hoc est, studio, & amore conferendi in eum beneficium, ac proinde feudum est in gratiam, & utilitatem feudatarii, ac rem accipit quis in emphyteusim, ut reddat eam meliorem, quod est in bonum & utilitatem Domini. Ergo feudatarius feudum deponere potest sine Domini voluntate: ac emphyteuticarius verò non potest rem emphyteoticam desistere.

Qua res possint in feudum dari.

CAPVT IV.

P R I M O quaeritur, An res aliena in feudum dari queat? Respondeo, in cap. i. tit. de Inuestitu. de re aliena facta lib. 2. Feud. hoc haberi: (si quis sciens rem alienam, dedit in feudum ignorantem, tunc is, qui accipit, potest agere, ut alia res eundem bonitatis, & aetimationis sibi detur in feudum, cum prima sit euicta. At si quis sciens, rem alienam accepit in feudum, nisi speciali pacto sibi prospexit, agere non potest euicta re.)

Secundo quaeritur, An res alteri obligata possit in feudum dari? Respondeo ex eodem capite, Aut is qui accipit, scit rem obligatam alteri, aut ignorat: si ignorat, potest agere, ut alia res aequè bona, & quae tantuodem valeat, sibi detur: si sciens, non potest agere, nisi speciali pacto sibi cauere.

Tertio quaeritur, An Dominus possit in feudum dare, cum feudum nondum est apertum? Feudum apertum dicitur, quod est vacuum possessore beneficiario: quemadmodum aperta via appellatur, quae in veterem statum redacta est. Feudum igitur, quod adhuc à veteri beneficiario possidetur, non dicitur apertum feudum. Respondeo igitur: Aut Dominus dat in feudum, sub conditione videlicet, si vetus beneficiarius decesserit absque filiis, & nepotibus, & agnatis, ad ipsum feudum vocatis: vel sub conditione, scilicet, quando ipsum feudum ad Dominum iure deuolutum fuerit: Aut dat simpliciter absque vlla conditione. Si primum, tunc contractus subsistit, ut est communis opinio, teste Iulio Claro libro 4. Sententiarum, §. Feudum, q. 14. Si secundum, tunc contractus non valet, etiam si postea vetus beneficiarius absque haerede ad feudum vocato è viuis excesserit: quia tractu temporis non conualecit, quod initio irritum fuit. Sic communis sententia, eodem Iulio Claro teste. Et certe Principes cauere debent, ne deint occasionem optandae, & captandae mortis, concedentes feuda, quae nondum sunt aperta: sicut enim beneficium Ecclesiasticum cum nondum sit possessore vacuum, hoc est, quum non vacet, conferri in alterum nequit, si nec feudum, quod adhuc à veteri beneficiario, siue feudatario possiderit.

Quarto quaeritur, An res incorporales, cuiusmodi sunt seruitutes rerum, vel personarum, & ius exigendi redditum annuum perpetuum, possint in feudum dari? Possunt, quia tales res pro immobilibus habentur, & in eis, quasi possessionem, & quasi dominium esse dicimus. I. Seruitutes qua. ff. De Seruitut. urban. & I. Possessores, C. de Feudis patrimonial. lib. 11.

Quinto

Quintò quaeritur, An res, quam alienare prohibemur, possit in feudum dari: Non potest dari in feudum nouum, bene tamen in feudum vetus. *c. i. tit. Per quos fiat investitura lib. 2. Feud.* ubi habetur sic: Noui vero investitura feudi, non ab alio rectè fit, nisi ab eo, qui legitime suorum bonorum administrationem habet: qui enim qualibet ratione aliquid de suis rebus impeditur alienare, is nec per feudum poterit investituram facere. Ratio diuersitas est, quia vetus feudum est, quod quis a parentibus ad feudum vocatis habet: nouum verò feudum est, quod nunc primum datur, & traditur: ergo is, qui prohibetur rem alienare, in feudum nouum dare non potest, quia rem alienat, ac cum vetus feudum renouat, beneficium in eo consummando, vel et possessionem tradendo, non alienat rem, quia alienatam inuenit.

Sextò quaeritur, An Episcopus, vel Ecclesiae Praepositus possint Ecclesiae, cui praestit, in feudum nouum dare? Respondeo, certè iuris esse, rerum Ecclesiasticarum alienationem iure communi prohiberi. *Authen. de non alien. aut permutat. reb. Ecclesiast. Et Authen. de Ecclesi. ff. rerum alienat. Et solut. Et c. Nulli. de reb. Eccl. non alien. nisi ex certis causis, & causa, & solenni iuris formula seruata. c. sine exceptione, 12. q. 2. c. Dudum. de reb. Ecclesi. non alienat. in 6. v. de, nisi id licet, quod habetur in c. 2. de Feudis.* res immobiles Ecclesiae in feudum dari non possunt: hoc enim Episcopi, & Praecleri Ecclesiarum iure iurando promittunt.

Quid verò, si res Ecclesiae solita fuerint in feudum dari, poterant Praelati iterum in feudum dare, si redierint ad Ecclesiam liberè feudo, eo quod beneficiarius à feudo ceciderit, vel eo quod absque legitima prole decederit? Respondeo, tunc posse in feudum dare, dum modo id sit in euentum Ecclesiae vtilitatem. *cap. vlt. de Feudis.* etiam absque alia solenni iuris formula, quia tunc Praelati alienant res Ecclesiae, quae alienari solite sunt: ad talem verò alienationem non requiritur alia solenni formula, nisi ut ipsa sit in euentum Ecclesiae vtilitatem.

Quid tandem si Ecclesia non possit feudum recuperare, restitente beneficiario, seu feudatario potentia? Respondet Panorimitanus *ex cap. vlt. de Feudis*, posse tunc Ecclesiam feudum in alterum potentiorum conferre, qui recuperet feudum, sibi que rehaereat Ecclesiam.

Septimò quaeritur, An decima, quae solita est in feudum dari laicis ante Concilium Lateranense (sub Alexandro III. si libera ad Ecclesiam reuersa fuerit, possit de nouo in feudum dari laico? Non potest, quia ad suam naturam, & conditionem redit. *c. Prohibemus, de Decimis.*

Qui possint feudum dare, & accipere.

CAPVT V.

PRIMO quaeritur, An Episcopus possit in feudum dare res Ecclesiae, cui praestit? Respondet Hostiensis *in summa tit. de feudis, versu. Quis possit constituere.* Olim in feudum dare solebant res Ecclesiarum, Episcopus, Praepositus & Abbatissa, ut constat ex libro 1. *Feudorum, tit. Qui dare in feudum possint. tit. 6. eod. lib.* dicitur: Item si Episcopus, vel Abbas vel Abbatissa, vel Dominus plebis feudum dederit de rebus Ecclesiarum, quae eis subiectae sunt, & tituli vocantur, nullum habere vigorem, secundum hoc, quod constitutum est à Papa Urbano in Sanctam Synodo, hoc est illud, quod post eius decretum fuerit datum: quod autem ante datum fuerit, firmiter permanere debet. sic sibi. Nunc autem Episcopi, vel alii Ecclesiarum Praecleri dare in feudum res Ecclesiae non possunt, nisi Romani Pontificis auctoritate, & mandato, *c. Per tuas, de donationibus.* Hoc verò, inquit Hostiensis, locum habet in rebus Ecclesiarum, quae non sunt solite in feudum dari: alioqui enim res, quae ab antiquo tempore, nomine, & iure feudi concedi

consueverunt, possunt Episcopi in feudum dare, cum iubeat ad Ecclesiam redierint, & feudum Ecclesiae non noceat, *cap. vlt. de Feudis.* ubi sic habetur: (Ad haec, si vassallatum tuum feudum alienare contingat, amplius filium vel consanguineum eiusdem feudi consortem de ipso valeas inuestire: & si feudum per te recuperare non possis, facile potes concedere alteri, per quem ipsa Ecclesia valeat rehaere.) Sic ibi, hoc est, qui ipsum feudum recuperet, & Ecclesiam vel feudi dominam agnoscat.

Secundò quaeritur, An possit Episcopus decimas in feudum dare, hoc est, ius decimas exigendi, & percipiendi? Non potest: *id enim colligitur ex c. Prohibemus, de decimis,* & id ratio ipsa confirmat, quia tale ius est spirituale, quod nequit in laicum cadere, decimae enim debentur Ecclesiae, tanquam stipendia & alimenta Clericorum ministrantium in eo, *cap. His itaque, 13. quest. 1. Et c. Ad haec, c. Quamus, Et c. de decimis.* Concilio Lateranensi sub Alexandro III. in habetur in *c. Prohibemus, de decimis*, sancitum est, ne decimae, quas laici ante illud Concilium auctoritate, & consensu Ecclesiae acquisierant, in laicos transferrent. Noluit Concilium adimere possidentibus iam decimas, sed prohibuit, ne in alios laicos transferrent. Et quia difficile est probare titulum, videlicet se acquisiuisse decimas ante illud Concilium Lateranense, receptum est vlt. in Gallia, teste Duareno in *Commenta. de feudis. ca. 5. nu. 7.* ut laici eas retineant, dummodo possessionem excedentem hominum memoriam, id est, centum annorum probent: & se recognouisse Ecclesiam earum decimarum dominam, & nomen istius possidisse.

Dubiae verò quaestio est, An laicus, qui tales decimas possidet, possit eas in feudum dare? Non potest iure: nam interdictum illi, hoc est, *c. Prohibemus, de decimis*, nihilominus tamen, inquit Zazius in *Epitome in usus feudorum*, in Germania id sit consuetudine. Duareno auctore, in *Commenta. de feudis. s. nu. 7.* putat nihil obitare, quod habetur in *c. Prohibemus*, quo minus laicus, qui decimas tales in feudum acceptas possidet, eas donare, vendere, & in feudum dare laicis possit: quod probat auctoritate Caroli Molmeri, & ratione. Quia Concilium, ait, interdicat laico, ne tales decimas alienet, & transferat in laicos, sed nihilominus consuetudine retinetur, ut id possit, quia ante Concilium Lateranense, datae sunt laicis decimae ea conditione, ut possent eas in feudum dare: quod ius quaeritur laicis Pontifex non potuit auferre. Ceterum contra ius & rationem haec scripsit Duareno. Quis enim negare iure potest, potuisse Concilium, & Pontificem id potestatis & iuris adimere laicis, cum laicis decimarum capax non sit, nisi auctoritate & privilegio speciali Ecclesiae? Quis tandem inficiari merito queat, eam consuetudinem esse corruptellam, cum sit facti. Canonibus contraria? Quid hac in iura vi testimonio Caroli Molmeri ad excusandam corruptellam, qui multa & dixit, & scripsit contra immunitatem Ecclesiasticam, & auctoritatem Pontificiam sacris sanctionibus confirmatam.

Tertiò quaeritur, An Romanus Pontifex possit in feudum dare res non solum Romanae Ecclesiae, sed etiam cuiusvis alius Ecclesiae? Possit, quia iure diuino est caput & pastor omnium Ecclesiarum, *c. Cuncta per mundum, 9. q. 2. Curius par. 2. de feudis, Et Zazius in Epitome in usus feudorum c. 5. Hanneton. lib. 1. iuris Feudorum, c. 5.*

Quartò quaeritur, An Abbas, & alii Clerici inferiores possint in feudum dare bona Ecclesiae, eius administrationem habent? Possunt, si rerum Ecclesiasticarum administrationem habent, *lib. 1. feudorum tit. 1.* Hoc locum habet in us, qui praesunt Ecclesiae, ut Abbas, Praepositus, & alii similes. Item, si res Ecclesiae solita est in feudum dari, *cap. 2. de feudis, Et lib. 1. feudorum tit. 1. Et in eod. libro tit. 6. s. idem habetur.* Idem iuris est, si sit Praepositus, vel Abbatissa, vel alia Ecclesiastica persona, quae antiquitus non sit solita in feudum dare, scilicet, ut quod dederit, de iure non valeat.

Quintò quaeritur de laicis, An Duces, Marchiones, & Co-